



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 3. Correctus Ciceronis locus è libro tertio De legibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

μαλακία ἢ τὸ φέγειν τὰ ὀπίσθια. ἢ ἔχ' ὅτι χαλὸν, ἔσομέναι,
ἀλλὰ φέγων χαλόν. Eurip. autem versus hi sunt:

Εὐκείφα μιν ἦ, καί περ ἐν χαλόνων ὄν,

Μὴ δειλίαν ὄφλω πιν', ἐκλιπὼν φάσθαι.

Ταῖς συμφορῇ ἢ ὅστις ἔχ' ὑφίσταται,

Οὐδ' ἀνδρὸς αἰ' δυνάειδ' ἔσθ' ἰώσαι βέλθαι.

sed & apud Martiale memini esse Epigramma quod-

dam in hanc sententiam: cuius hæc clausula est:

Rebus in aduersis facile est contemnere vitam.

Fortiter ille facit qui miser esse potest.

Correctus Ciceronis locus è libro tertio De Legibus.

CAPVT III.

DE tribunicia potestate longa & copiosa est di-
sputatio apud Ciceronem lib. III. De Legibus.
nam cum illam Q. Cicero pestiferam & exitiosam es-
se dixisset; respondens Marcus, multa ei vitia inesse
non negat: sed quæ tamen facile compensentur pluri-
bus & maioribus bonis: eo maximè, quòd nihil ea uti-
lius cogitari potuerit ad plebem cum patribus in con-
cordia continendam. tum dissoluens ea quæ *Quin-*
ctus aduersus eam dixerat, ita loquitur: *At duo Gracchi*
fuerunt. & præter eos, quamuis enumeres multos licet,
cùm deni crearentur: nullos in omni memoria reperies perniti-
ciosos tribunos: leues, etiam non bonos fortasse plures. inui-
dia quidem summus ordo caret. Sed habet dubitationem,
quid sit quod Cicero ait, Cùm deni crearentur. ita enim
loqui, quasi deni creari desierint, videtur. Neque me-
lius, aliquanto etiam deterius, videtur, quod Adria-
nus Turnebus scripsit, qui locum hunc ita edidit: At
duo Gracchi fuerunt? & præter eos, quamuis enumeres
multos, licet. Cùm deni creantur, nullos in omni memo-
ria, &c. quasi aliquando deni creentur, aliquando

F 5 aliquo

Ant. Mureti
Ant. Lectiones
LIII
25

aliquo alio numero: & cum deni creantur, tum nulli perniciosi reperiantur. quod si esset, ne mirificam illi vim numerus habuisset. ego addendam particulam, non: & totum locum ita legendum puto: *At duo Gracchi fuerunt. Et prater eos quamuis enumeres multos licet, cum deni creentur. Non nullos in omni memoria, &c.* Illud enim, *At duo Gracchi fuerunt*, quasi ex Quinti persona Cicero dicit. Deinde respondens, ait non eos tantum proferri posse, verum etiam eorum similes quamuis multos. neque id mirum esse, cum deni creentur. etenim in tanto numero; non est mirabile plures improbos extitisse, quam in iis magistratibus qui bini creabantur. Tum subiungit: si evolvantur annales, & antiquitatis memoria replicentur, nonnullos repertum iri perniciosos tribunos: leues autem etiam non bonos fortasse plures. Hoc tamen magnum bonum in tribunatu inesse: quod efficit, ut ordo senatorius invidia careat. Nullos autem in omni memoria perniciosos tribunos fuisse, nemo, opinor, nisi plane *ἀνισόθεν* dixerit.

De veteri proverbio, quo dicebatur, quod pulchrum est, placere. CAP. IIII.

QUAE pulchra sunt, habere eam vim, ut statim inspecta, omnium sibi voluntatem conciliant, amoremque adiungant, nemini ignotum esse, nisi communis sensus experti, potest. Itaque scitum est illud Aristotelis, qui interrogatus ab aliquo, qui fieret ut pulchri tam facile ab omnibus amarentur: caeci eam interrogationem esse respondit. & Graeci sapienter sua lingua pulchro ex eo indidere nomen, quod omnes ad se alliciat: dixerunt enim *καλόν, παρὰ τὸ καλεῖν, ὅτι πάντες ἐφ' ἑαυτὸ καλεῖ*. Testati sunt idem vulgato olim proverbio: quo